



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

**Prot. N. 653/09/I**

BEATISSIME PATER,

Iacobus Traserra Cunillera, Episcopus Celsonensis, fretus Divina Misericordia, recolens ingentia beneficia spiritalia quae Annus Eucharisticus christianis populis obtulit, humiliter a Sanctitate Tua plenariam implorat Indulgentiam in forma Iubilaei a die undecima proxime advenientis mensis Aprilis usque ad diem octavam mensis Maii anno bismillesimo undecimo consequendam, fidelibus qui Sanctuarium Sancti Dubii dictum, apud vicum Ivorra positum, pie invisent diebus, in quibus peculiaria devotionis exercitia cum magno populi concursu peragentur ad decem commemoranda revoluta saecula, ex quo, Bernardo sacerdote Oliver dubitabili animo sacra litante, signa manifestissima realis praesentiae Domini Nostri Iesu Christi in eucharistia ostenta fuerunt, quando de calice sanguis effuse scaturivit, corporale et linteamina usque ad lapidem altaris madefecit et super terram copiose cecidit.

Exc.mus Orator enixe confidit ex his sollemnibus celebrationibus christianae professioni et vitae suorum fidelium magnum esse obventurum emolumentum. Quo autem fideles impensius ad agnitionem et amorem ineffabilis Fidei Mysterii incitentur et inde uberiores usque spiritalis fructus hauriant, apprime iuvabit Indulgentiae donum, testimonium et argumentum paternae benevolentiae Sanctitatis Tuae, et incitamentum ut solidetur in tota Dioecesi hierarchicum et filiale vinculum erga Sanctitatem Tuam et erga proprium Sacrorum Antistitem.

Et Deus, etc.

### **Die III Novembris MMIX In festo Sancti Hermengaudii Episcopi**

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de Summi Pontificis mandato, *plenariam* libenter concedit *Indulgentiam*, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus in Sanctuario Sancti Dubii lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint:

**a.-** quoties iubilantibus celebrationibus vel spiritalibus inceptis in honorem Iesu in SS.mo Sacramento praesentis devote interfuerint;


**b.-** quoties iubilare Templum in forma peregrinationis inviserint et coram sacra reliquia publicae venerationi sollemniter exposita, saltem per congruum temporis spatium, piis considerationibus vacaverint, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis.

Pii fideles, senectute, morbo vel gravi alia causa impediti, pariter *plenariam* consequi valebunt *Indulgentiam*, si, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, anniversariis functionibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis, vel incommodis propriae vitae, misericordii Deo oblati.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralii caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut sacerdotes, opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, in iubilarii ecclesia paroeciali, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti per iubilarem annum valituro. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

*De mandato Exc.mi Archiepiscopi Paenitentiarum Maioris*

  
† IOANNES FRANCISCUS GIROTTI, O. F. M. CONV.  
Ep. Tit. Metensis, Regens

*Ioannes Maria Gervais*  
Ioannes Maria Gervais  
Ad. a Stud.



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

**Prot. N. 654/09/I**

### DECRETUM


PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Benedicto Divina Providentia Papa XVI tributarum, Excellentissimo ac Reverendissimo Patri Domino Iacobo Traserra Cunillera, Episcopo Celsonensi, vel de eius consensu alii Praelato episcopali dignitate insignito, benigne concedit ut, in millesimo anniversario Miraculi Eucharistici de Ivorra, die in fidelium utilitate eligendo, post litatum divinum Sacrificium, impertiat omnibus christifidelibus adstantibus, qui, animo omnino elongato ab affectu peccati, iisdem sacris interfuerint, *papalem Benedictionem cum adnexa plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus lucranda (sacramentali Confessione, eucharistica Com-munione et Oratione ad mentem Summi Pontificis).

Christifideles qui *papalem Benedictionem* devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die III mensis Novembris, anno Dominicae Incarnationis MMIX.

*De mandato Exc.mi Archiepiscopi Paenitentiarum Maioris*

  
† IOANNES FRANCISCUS GIROTTI, O. F. M. Conv.  
Ep. Tit. Metensis, Regens

*Joannes Maria Gervais*  
Ioannes Maria Gervais  
Ad. a Stud.